DE SYPHILIDE VISCERALI.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PATHOLOGICA
QUAM
CONSENSU ET AUCTORITATE
GRATIOSI MEDICORUM ORDINIS
IN
ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE
FRIDERICA GUILELMA
UT SUMMI
IN MEDICINA ET CHIRURGIA HONORES
RITE SIBI CONCEDANTUR
DIE XIII. M. APRILIS A. MDCCCLXVI.
H. L. Q. S.
PUBLICE DEFENDET
AUCTOR

EMANUEL AUFRECHT
SILESIUS.

OPPONENTIBUS:
A. BERKE, MED. ET CHIR. DD.
E. HUTH, MED. ET CHIR. DR.
O. SCHADEWALD, MED. ET CHIR. DD.

BEROLINI
TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

HASCE

STUDIORUM PRIMITIAS

SACRAS ESSE VOLUIT

AUCTOR.

Ex studiis intra proxima demum decennia exercitis elucet, syphilide constitutionali etiam morbos intestinorum provocari, qui quod attinet gravitatem atque effectum ad totius corporis valetudinem, multo pluris aestimandi sunt, quam omnes morbi, qui usque ad hoc tempus ex syphilide oriundi putabantur. Nam solum notae erant affectiones cutis atque membranarum mucosarum, quae illi adjacent, praeterea periostei, ossium, testis, iridis, quae quum inspectioni atque palpationi sese praebeant, originem ex syphilide magis manifestant. Viri, qui horum morborum studio sese dederant atque quomodo singuli sese sequerentur, cognoverant, doctrinam de syphilidis stadiis constituebant, quae nunc ab auctoribus plurimis relicta esse videtur.

Qualis fuerit pristina de syphilide opinio, ex iis novimus, quae scripsit Fernel (1556)[1]), qui quatuor syphilidis gradus statuit, quos viro syphilitico in corpus recepto hujus generis esse dixit: primus gradus est capillorum defluvium, quia virus illas partes corripuit. Altero gradu pustulae maculosae lentiformes in cute existunt, viro in sanguinem

---

[1]) Secundum M. H. J. Descruelles, Behrends Syphilidologie. T. II. p. 500. Leipzig 1840.

recepto. Tertio gradu pustulae apparent, quae in ulcera virulenta degenerare possunt atque in cavo narium et pharyngis cernuntur, bile et toto sanguine excitatis. Quartus gradus ita se manifestat, ut aegrotus doloribus, carie, insomnia, tormentis atrocibus afficiatur, toto corpore extenuato. Ducentis annis post denuo Hunter[1]) affectiones syphiliticas duas in periodos divisit; quarum priori morbos cutis, narium, pharyngis, cavi oris, posteriori periostei, aponeurosium et ossium adnumeravit.

Summam hujus divisionis Ricord[2]) secutus est. Contendit enim, ulcus syphiliticum semper esse fontem viri sese reproducentis atque bubonum, quorum sedes sint vicinae glandulae lymphaticae. Deinde totum corpus veneno corripi, quo primis sex mensibus affectiones secundariae et cutis et membranarum mucosarum efficiantur. Morbos tertiarios ante mensem sextum nunquam existere eorumque sedes esse panniculum adiposum et telam submucosam et fibrosam, ossa, musculos, testes, cor, pulmones, jecur. Idem auctor addit, morbos secundarios non jam esse contagiosos, sed hereditarios, tertiarios autem neque contagiosos neque hereditarios. Quae si vera essent, divisio satis comprobata esset atque refelli non posset, sed et experimentis et experientia quam luculentissime ante oculos positum est, etiam materie affectionum secundariarum sanos syphilide affici posse, secreta ulcerum cutis[3]) item ut sanguinem ho-

---

[1]) John Hunter, Abhandlungen über die ven. Krankheiten. Deutsch von Branifs. Berlin 1858. p. 594.

[2]) Ricord, Briefe üb. Syphilis. Deutsch v. Liman. Berl. 1851. p. 223.

[3]) William Wallace, Behrend l. c. T. I. — Vidal, Gaz. des hôpitaux. 1851. 18. Févr. — Rinecker, Würzburger Verhandlungen. T. III. p. 387.

minum syphiliticorum[1]) artificialiter bono cum proventu transferri posse, condylomatibus latis[2]) aeque atque ulceribus primariis morbum propagari posse. Praeterea constat, syphilidem hereditate transferri posse non solum, dum affectiones secundariae cernantur, sed etiam syphilide latente[3]) aut affectionibus tertiariis exstantibus; quin etiam dicit Hutchinson[4]) viginti annis post infectionem vel tempore, quo jam symptomata tertiaria disparuerint, infantes syphiliticos gigni posse. Denique si respicimus, divisionem a Ricord factam saepe secundum experientiam perverti atque irritam fieri, morbos secundarios non modo primis sex mensibus, sed etiam longo tempore post infectionem existere posse atque in stadio tertio numeratos serius ociusve una cum illis se praebere, nullo pacto divisionem, quam fecit Ricord, nobis approbare licet. Non difficile est, multa exempla afferre, quibus haec demonstrentur, sed quia tempus et spatium angustiora sunt, paucorum tantum mentionem facere volo. De Baerensprung[5]) duos narrat casus, quorum in altero ulcera pharyngis duobus, in altero sedecim annis post infectionem exstiterant. Alio loco[6]) refert morbum puellae viginti quinque annorum natae, quae paullo, postquam syphilide infecta fuit, ulceribus pharyngis correpta

---

[1]) Waller, Prager Vierteljahrsschrift. 1851. — Pellizani, Schmidts Jahrbücher. 1863. T. 117. p. 42.

[2]) Zeifsl, constit. Syphilis. Erlangen 1864. p. 142.

[3]) v. Baerensprung, die heredit. Syphilis. Berlin 1864. Fall 19—22.

[4]) London Hospital Reports. II. 1865. Centralblatt für med. Wiss. 1865. No. 9.

[5]) L. c. Fall 18. 37.

[6]) Charité-Annalen. T. VI. p. 62.

est. Anno post apparuerunt icterus atque grave et pertinax alvi profluvium, quae post quatuordecim dies exanthema syphiliticum papulosum et pustulosum secutum est. Brevi post vita decessit atque sectione reperta sunt hepatitis interstitialis, qua hepar in complures lobos divisum erat, nephritis et ulcera recti.

Bahaud[1]) commemorat, brevi, postquam ulcus induratum exstiterit, roseolam atque paralysin facialem aegrotum invasisse, qui hydrargyri usu sanatus sit. Jam antea Knorre[2]) casus similes memoriae tradidit atque quod attinet ad nervorum functionem perturbatam, eam ab affectione involucrorum cerebri deducendam putavit.

Gubler[3]) complures casus descripsit, ubi una cum primis syphilidis constitutionalis signis in cute icterus exstiterit, quem ex morbo hepatis natum censet, sed unus vel alter casuum enarratorum ex catarrho gastroduodenali ortus esse mihi videtur.

Multo majoris momenti id exemplum esse arbitror, cujus mentionem fecit Biermer[4]). Puella rustica, viginti octo annos nata, octo mensibus post infectionem roseolam et icterum prae se tulit. Hepar infra costas infimas processit atque palpanti superficiem tuberosam iniquam et duram praebuit. Usu kalii jodati roseola atque icterus evanuerunt, volumen hepatis vero non deminutum est. Roseola igitur, hac in puella prima cutis affectio, tantum abest, ut hepatis

---

[1]) Gazette des hôpitaux. 1863. No. 146.

[2]) Deutsche Klinik. 1849. 7.

[3]) Gazette médicale de Paris. 1854. 9.

[4]) Schweizer Zeitschrift für Heilkunde. I. p. 151.

morbum antecesserit, ut, quod ex palpatione patet, eum secuta sit.

Longe alia atque auctorum Hunter et Ricord illa est ratio, quam sequitur de Baerensprung[1]). Hic demonstrat, in uno eodemque organo, cute, morbos secundarios et tertiarios discernendos esse. Illis adnumerat strati corii superficialis inflammationes, formas maculosas et squamosas, quas diutius persistentes formae papulosae et condylomata et denique ulceratio sequi possunt; his autem morbos ex stratis corii profundis et ex tela subcutanea proficiscentes, qui exsudato primum quidem gelatinoso, deinde vero tuberculisante perficiantur, cujus ex malacia ulceratio prodeat.

Virchow[2]) amplius exposuit, in affectionibus syphilidis constitutionalibus praeter affectiones passivas, marasmum et degenerationem amyloideam, activas existere, quae ex hyperplasi cellularum telae conjunctivae atque telarum ei affinium, sicuti periostei, neurogliae, exortae neoplasiam telae conjunctivae aut accumulationem cellularum (tumorem gummosum) producant. Idem demonstravit, omnes affectiones ossium, hepatis, musculorum aliorumque organorum eo revocandas esse. Patet igitur, in omnibus organis unam eandemque telam esse morbi sedem, atque si effectus varius est, si proliferatio telae conjunctivae in altero loco parvi momenti, in altero autem gravissimae atque periculosissimae mutationis ansa esse potest, varietatis singulorum organorum eorumque functionis, non varietatis ipsius morbi ratio habenda est. Praeterea sequitur, morbum,

---

[1]) Charité-Annalen. T. VI. p. 65.

[2]) Virchows Archiv. T. XV. p. 217.

quoad solam telae conjunctivae hyperplasin efficit, nihil syphilidi proprium praebere, quia similes affectiones sine causa syphilidis praedisponente existere possunt atque quaerere licet, quatenus in corpore syphilide constitutionali affecto variorum organorum affectiones illi attribui possint. Nonne licet perinde, ut in hepate hepatitidem interstitialem syphiliticam, in renibus nephritidem interstitialem syphiliticam statuere? Qui illam formam syphiliticam esse posse putat, is a priori negare non potest, hanc etiam ex syphilide oriri posse, et quamquam nephritidem interstitialem persaepe videmus causa ignota, tamen non semper rem ignotam accusare debemus, praesertim quum nobis persuasum sit, affectiones analogas in aliis organis ex basi syphilitica oriri.

Namque contendere nolo, syphilidem aut virus syphiliticum sua sponte hyperplasin telae conjunctivae excitare, nam si ita se haberet, transformationes constanti progressu atque aequabilitate nasci necesse foret. Roseola atque faucium ulcera, iritis et periostitis syphilidem sequi deberent, aeque atque ulcus primarium sequitur infectionem localem. Quae re vera ita non esse vix memorandum existimo, etenim nulli alii morbi, quod attinet ad tempus, locum, longinquitatem ita inter se differunt, ut affectiones nomine syphilidis constitutionalis comprehensae. Mihi quidem non dubium est, quin etiam aliis conditionibus opus sit, ut in fundo syphilidis praedisponentis morbi locales exasperentur. Recte quidem hoc loco, quod plurimi auctores compertum habent, commemorare possum, infectionem syphiliticam, postquam corpus corripuit, morbum localem, qui jam antea exstitit, majorem reddere, aut morbos in

organis excitare, qui affectionibus, quae antecesserunt, aut hereditate in statum deteriorem rediguntur, atque jure ait Zeifsl[1]), in syphilide ubique legem partium minoris resistentiae valere. Pari modo in corpore syphilide constitutionali affecto impulsibus, quos praeterea perturbatio functionalis subsequitur, quae quiete potest exsequari, fieri potest, ut perturbatio formativa existat atque irritationes, magis magisque per longius breviusve temporis spatium vim exercentes, quae corpore sano superantur, morbos organicos afferant. Considerandum puto, periostitidem syphiliticam locatam esse fere semper in ossibus superficiei maxime adjacentibus eaque de causa variis viribus accedentibus, ulcera persaepe oculis sese offerre in faucibus, quae sedes sunt irritationum inter se differentium et thermicarum et chemicarum et mechanicarum, atque cutem minime munitam, in quam, quamvis magna cura egeat, a multis hominibus minima diligentia impenditur, plerumque atque infectioni proxime morbo affici; nec me errare puto magnam vim ad localisationem morbi omnibus rebus adjudicantem, quae extra fines syphilidis ad corpus humanum valent. Ita intelligi potest immensa varietas organorum aegrotorum, nam quia loca minoris resistentiae varia sunt in variis hominibus, acquisita vel hereditate vel textus infirmitate ex morbo superato orta, et quia varii homines variis viribus damnosis, ad coelum et aerem, victum et cultum, negotium aliasque res spectantibus, objecti sunt, morbi syphilitici exstant tempore non praefiniti.

---

1) L. c. p. 77.

At animadvertendum est, procedente syphilide non solum simplicem telae conjunctivae formationem, sed etiam functione cellularum hyperplastica accumulationem elementorum effici, quae nodos et tumores gummosos constituit. Jam ex disquisitionibus a Wagner institutis elucet, non esse ullam corporis partem, ubi illi tumores syphilitici existere non possint et quaerere nobis licet, qua de causa quum tela conjnnctiva persistens, tum textus imperfectus et non persistens, qui gummi vocatur, generetur.

Si certum ponimus, in uniuscujusque telae neoplasia hyperplasin cellularum formationi substantiae intercellularis praecedere, hoc loco disquirendum est, utrum irritatio occasionalis tanta fuerit, ut partes syphilide affectae continuo augerentur, an functio formativa partium modum transgressa sit, quia aliis ex locis, ubi affectiones ex syphilide ortae exstiterunt, materies advehitur, qua una cum irritationibus, quas supra ad perturbationes locales necessarias esse diximus, impeditur, quominus textus persistens producatur.

Opinioni, quam loco secundo proposuimus, id favere potest, quod inter infectionem et formationem gummositatum tempus intercedit, quo morbi partium variarum locum habuerunt.

Omnes hae affectiones quum telae conjunctivae, tum gummositatum ansa optime fiunt in organis magis munitis, in intestinis, quae ex syphilide aegrotare posse ex investigationibus a Dittrich, Virchow aliisque factis constat, qui auctores nos docuerunt, quantae esse possint destructiones syphiliticae.

Non inutile arbitror, hoc loco triginta sex sectiones componere, quas ex tabulis sectionum his tribus annis in instituto pathologico-anatomico Berolinensi confectis excerpere mihi permissum erat.

Omnes hos casus, qui variorum organorum intestinorum destructiones offerunt, indice comprehendam, quo facto de singulis organis nonnulla disputaturus sum.

Nomen, aetas.	Externa.	Organa circulationis.	Organa respirationis.	Hepar.
1. Paul, fem. a. XXI. mort. 10/3. 63.	Anasarca.	Endocarditis mitralis (stenosis).	Pleuritis chron. adhaes. totalis, peribronchitis chron. fibrosa.	Atrophia cyanotic… par moschatum
2. Lemke, fem. a. XXV. mort. 11/3. 63.	—	Dilatat. et hypertr. cordis, pericarditis recens.	Oedema pulmonum.	—
3. Richter, vir a. LXV. mort. 4/6. 63.	Defectus conchar. et vomeris.	Endocarditis et endaortitis valvularis, pericarditis chronica.	Defectus epiglottidis, laryngitis et tracheitis, broncho-pneumonia loborum inferiorum.	—
4. Beschnitt, vir mort. 8/6. 63.	—	—	—	Perihepatitis chr… adhaes.
5. Krause, fem. a. XLVI. mort. 18/6. 63.	—	—	Defectus epiglottidis.	Perihepatitis chr.… patitis intersti… superficialis.
6. Ladewig, fem. a. XL. mort. 29/6. 63.	Oedema pedum.	Dilatatio cordis, endocarditis parietalis, papillaris, mitralis verrucosa, thrombosis auriculae cordis dextr., venae jugul. int. et ext. et anonymae.	Embolia arteriae pulmon. sin., pneumonia et pleuritis sin.	Perihepatitis chr.… haesiva, hepatiti… terstitialis, retra… et atroph. totalis… sin., thrombosis … portarum, calcul… sic. felleae.
7. Holschmacher, vir a. L. mort. 10/8. 63.	Psoriasis, ecthyma capitis, oedema pedum.	Cysticercus myocardii, endocarditis partialis.	Stenosis tracheae, pleuritis chron. adhaesiva, induratio lapid. fissil. et noduli caseosi pulmonum, perichondritis laryngea.	Hepatitis interstiti… granularis.
8. Sellenthin, vir a. XXXIX. mort. 15/9. 63.	Oedema cutis, cicatrices tibiae.	Endocarditis sin., endaortitis sclerotica.	Pleuritis chr. adhaes. dextra.	Perihepatitis, hepa… interstitialis si… et gummosa, … amyloid.

Lien.	Organa uropoetica.	Organa genitalia.	Tractus digestivus.	Cerebrum, medulla spinalis et involucra.
plasis et in-tio lienis.	Nephritis capsularis et interstitialis, degeneratio amyloidea.	Cicatrices vaginae, perimetritis et perioophoritis chronica.	Ascites, atrophia laev. linguae, hyperplasis folliculorum pharyngis, catarrh. chronicus ventriculi, degen. amyl. intestini.	—
—	Atrophia renum granularis.	Ulcera vaginae, perimetritis, perisalpyngit, perioophoritis chron., anteflex. uteri.	Atrophia laev. bas. et erosio marginis linguae, cicatrices ventriculi.	Hydrocephalus internus haemorrhagicus.
—	—	Periorchitis, orchitis interstit.	Atrophia laev. bas. linguae, cicatrices tonsillar., catarrh. chron. intest.	Pachymeningitis int. chr., haemorrhag., pachymeningit. ext. fibrosa perivascularis, hydrocephalus ventriculorum.
—	—	Periorchitis chr. petrificans, induratio glandularum inguinalium.	Cicatrices palati mollis, tonsillar., pharyngis, hyperplasis folliculor. laryngis, catarrh. chr. ventric.	Pachy- et leptomeningitis chr., leptomeningitis gummosa, ependymitis granularis serosa.
enitis.	—	Cicatrices vagin., cystis introitus, endometritis chr., oophoritis chron.	Cicatrices linguae et pharyngis, hyperplasis folliculor. pharyngis, catarrh. chr. ventric.	Osteophyta calvariae, leptomeningitis chr., encephalitis gummosa.
lasis lienis.	Nephritis capsularis et interstitialis.	Catarrh. chr. vaginae, endometritis, atrophia ovariorum, dilatatio tubarum cystica.	Catarrh. chr. ventriculi.	Thrombosis sin. transvers.
—	—	Cicatrices penis.	Cicatrices pharyngis et tonsillar., catarrh. chr. ventric., ulcera intest. ten., ascites.	—
las., deg. a-d.	Nephritis capsularis, degeneratio amyloidea.	Cicatrices penis, orchitis interstitialis, hydrocele.	Cicatrices pharyng. et palati mollis, catarrh. chron. intestini, peritonitis adhaesiva partialis, hyperplasis glandularum inguinal., pelvis, mensenterii.	Caries sicca calvariae, osteophyta, pachy- et leptomeningitis chr.

Nomen, aetas.	Externa.	Organa circulationis.	Organa respirationis.	Hepar.
9. Berkholz, vir a. LI. mort. 3/11. 63.	—	Maculae tendin. pericardii, endocarditis partialis sin., endaortitis petrificans.	Pleuritis chr. adhaes. sin., bronchitis.	Hepatitis inters granularis.
10. Pfeiffer, vir a. XLVI. mort. 10/12. 63.	Cicatrices cutis thoracis et alvi, exostoses int. costae iv et v.	—	Pleuritis chr. adhaes., pneumonia inferior dextr.	Hepatitis interst
11. Issem, fem. a. XX. mort. 26/1. 64.	—	—	Ulcera glottidis spur. sin., perichondritis arytaenoidea sin.	Perihepatitis ad va, hepatitis stitialis, deg. sa et amyloid
12. Bartel, vir a. LIX. mort. 12/3. 64.	Cicatrices tibiarum.	—	Pleuritis chron.	Perihepatitis, he interstitialis (hep. lobat.) e mosa.
13. Pilz, fem. a. XIX. mort. 15/3. 64.	—	—	Noduli calculosi et cicatrices pulmonum.	Hepatitis inters (hep. lobatum) et gummosa.
14. Reinhardt, vir a. LXI. mort. 17/3. 64.	—	Dilatat. et hypertroph. ventriculorum cordis, endaortitis valvularis (insuff.), endocarditis papillaris, hydropericardium.	—	Calculi vesicae f perihepatitis lis.
15. Mueller, vir a. XXVII. mort. 7/8. 64.	Maculae pigmentatae pedum.	—	Pneumonia pulmonis sin.	Hepatitis inter lis superficiali amyl.
16. Nadge, vir a. XLVII. mort. 3/9. 64.	Necrosis ossis sacri, icterus.	—	Oedema pulmonum.	Degeneratio a dea.
17. Lehmann, vir a. LX. mort. 4/9. 64.	Maculae cutis pigmentatae.	Hypertrophia cordis, endaortitis valvular. (insuffic.).	Pleuritis fibrinosa sin., oedema pulmonum.	Perihepatitis et titis interstitia

Lien.	Organa uropoetica.	Organa genitalia.	Tractus digestivus.	Celebrum, medulla spinalis et involucra.
plenitis.	Nephritis interstitialis.	Cicatrices penis, periorchitis, orchitis interstit. simpl. et gummosa sin., prostatitis fibrosa.	Peritonitis adhaesiva partialis, ascites.	Pachy- et leptomeningitis chr., encephalitis gummosa.
—	Nephritis capsularis gummosa.	Cicatrices penis, periorchitis polyposo-serosa et adhaesiva.	Catarrhus chron. ventriculi et intestinorum (polypus intestin.).	Cicatrices et exostoses ossis frontalis, pachy- et leptomeningitis haemorrhagica, sclerosis et thrombosis arter. vertebralis et basilaris, malacia pontis.
plenitis ad- siva, hyper- . et indura- lienis.	Noduli caseosi renis succent. sin., perinephritis, nephritis interstitialis granularis.	Cicatrices introitus vaginae et perinaei.	Cicatrices intestini tenuis.	—
plenitis, hy- plasis lienis.	Nephritis interstitialis.	Cicatrix frenuli.	Catarrhus ventriculi polyposus, catarrhus chr. intestini, peritonitis fibrinosa in excavatione recto-vesicali.	—
atio lienis, amyl. folli- r.	Nephritis interstitialis, deg. amyl.	Cicatrices vaginae.	—	—
pleuitis callo- adhaesiva.	Nephritis capsularis, atrophia renum granularis, peri- et endarteriitis arter. renalis sin., cystides mucosae vesicae urinariae.	Orchitis interstitialis et periorchitis, hypertrophia prostatae, induratio fibrosa vesicularum seminalium.	Atroph. laev. bas. linguae, catarrh. chron. ventriculi.	Malacia partis frontalis cerebri, corporis lenticularis dextri et pontis.
lenitis.	Atrophia granularis renum, deg. amyl.	—	Atroph. laev. bas. linguae, defectus uvulae, cicatric. palati mollis, stenosis choanarum, deg. amyl. intest.	—
eratio amy- a, hyperpl. cul.	Nephritis interstitialis corticalis, deg. amyl.	Orchitis interstitialis.	Atrophia laev. bas. linguae.	—
lenitis ad- iva.	—	Orchitis interstitialis.	Atrophia laev. bas. linguae, catarrhus chr. ventriculi.	—

Nomen, aetas.	Externa.	Organa circulationis.	Organa respirationis.	Hepar.
18. Fullmann, vir a. XXIII. mort. 13/10. 64.	Oedema pedum.	—	Hydrothorax.	Hepatitis inters (hep. lobat.) et gummosa.
19. Boettcher, fem. a. LXIII. mort. 12/12. 64.	Macies, oedema pedum, icterus.	—	Oedema pulmonum, ecchymoses pleurae.	Hepatitis inters (hep. lobat.), duct. choledoc perplasis gla rum portae h
20. Moench, vir a. XXIII. mort. 22/12. 64.	Oedema pedum, cicatrices crurum.	Dilatatio et hypertrophia cordis.	—	Hepatitis inte lis.
21. Panten, fem. a. XXX. mort. 11/1. 65.	—	Pericarditis polyposo-serosa, maculae adiposae valv. mitr. et basis aortae.	Pleuritis fibrosa et fibrinoso-serosa, retractio loborum inferior., oed. pulmon.	Perihepatitis ad va, hepatitis stitialis sim gummosa, deg ves. felleae.
22. Mueller, fem. a. XXX. mort. 4/2. 65.	Anasarca, trichinae musc.	Hypertrophia cordis, endocarditis mitr. verrucosa, atrophia fusca myocardii.	Hydrothorax, pleuritis fibros. adh. part., bronchitis chron., pneumonia dextra.	Perihepatitis ad hepatitis inter (hep. lobatum)
23. Hendel, vir a. XVI. mort. 18/4. 65.	Destructio partis poster. septi nasi et ossis ethmoid.	Pericarditis fibrosa (synechia apicis cordis cum pericardio), myocarditis interstit. gumm., endocarditis fibrosa.	Destructio epiglottidis, pleuritis fibros. adh. partialis, ecchymoses pleurae sin., noduli melanotici pleurae dextr., oedema pulmonum.	Perihepatitis ad hepatitis inter lis simpl. et mosa, stenosis vae in porta tis.
24. Gieleke, vir a. XLVIII. mort. 18/5. 65.	—	Endocarditis fibrosa et myocarditis interstitialis apicis cordis sin. (aneurysma cordis), hypertroph. et dilatatio cordis sin., maculae tendineae pericardii, thrombosis parietalis ventriculorum.	Pleuritis deformans lobi infer. sin., thrombus in arteria pulmonali, peribronchitis gummosa, cystides thyreoideae.	Cicatrices supe les, hepatitis mosa.
25. Nobrandowsky, fem. a. LXIII. mort. 29/7. 65.	Oedema pedum exostoses tibiae dextr.	Endocarditis mitralis (insuff.), endocarditis papillaris callosa, atroph. fusca myocardii, myocarditis interstitialis.	Pleuritis fibrinoso-serosa loborum infer., pleuritis adh. chron. loborum superior., noduli fibrosi pleurae, tumor gummosus lobi infer. dextri.	Hepatitis interst superficialis.

Lien.	Organa uropoetica.	Organa genitalia.	Tractus digestivus.	Cerebrum, medulla spinalis et involucra.
. amyl. follicu- r. lienis.	Nephritis interstitialis, degeneratio corticis adiposa, deg. amyl.	—	Ascites, deg. amyloidea intestini.	—
splenitis tota- , induratio lie- s.	—	Prolapsus vaginae, catarrhus uteri, metritis chronica, atrophia ovariorum.	Ascites, peritonit. chr. fibros. adhaesiva, catarrhus chr. ventriculi et intestini, hyperplasis glandularum prope pancreat.	Hyperostoses int., pachymeningitis int. haemorrhagica, oedema piae matris.
—	Nephritis interstitialis et parenchymatosa.	—	Catarrhus cyanoticus ventriculi et intestini tenuis.	—
splenitis ad- esiva, tumor mmosus lienis, g. amyl.	Hyperplas. et deg. amyl. ren. succent., nephritis interstitialis, induratio fibrosa pelvis renalis et ureteris.	Perimetritis, perioophoritis et oophoritis chr.	Atrophia laev. bas., condylomata acuminata et cicatrices linguae, catarrh. ventriculi chr., deg. intestini amyl., ascites.	—
splenitis.	Nephritis interstitialis et parenchymatosa.	Cicatrices vag., endometritis polypos., perimetrit. chron., atroph. ovar. dextr., cystides sin.	Ascites.	Caries sicca ext. ossis frontalis et parietalis sin.
erplasis lienis, latatio venae nalis.	Anaemia renum.	—	Hyperplasis folliculorum basis linguae, anaemia intestini.	Pachymeningitis gummosa, gumma hypophysis.
—	Perinephritis chr., cicatrices renis dextri.	Perforatio frenuli, orchitis interstitialis sin.	—	—
—	Atrophia renum granularis, cystides, strictura urethrae.	Cicatrices vag., catarrhus, atrophia, fibroma uteri, perimetritis et perioophoritis adh.	Peritonitis adh. partialis, ascites, atrophia laev. bas. • linguae, amygdalitis chr., cicatrices et deg. amyl. intest. tenuis.	—

Nomen, aetas.	Externa.	Organa circulationis.	Organa respirationis.	Hepar.
26. Moeps, vir a. XXX. mort. 4/7. 65.	Oedema pedum, icterus.	—	Oedema pulmonum.	Perihepatitis adh. hepatitis inters lis simpl. et mosa, deg. amy
27. Jack, vir mort. 17/8. 65.	—	Endaortitis petrificans.	Noduli caseosi lobi sup. dextri, oedema pulmonum, splenisatio lobi infer. dextri.	Cicatrices super les, hepatitis i stitialis gummo
28. Mehler, vir a. LX. mort. 5/11. 65.	Icterus, anasarca.	Dilatatio et hypertrophia cordis, endocarditis mitralis (insuff.), dilatatio vv. jugularium.	Hydrothorax, induratio et oedema pulmonum, oedema laryngis et ligamentorum vocalium.	Perihepatitis adh cicatrices sup hepatis, calculi sicae felleae.
29. Steinhoefel, fem. a. LVIII. mort. 18/10. 65.	—	Maculae pericardii tendineae.	—	Hepatitis intersti (hep. lobatum), tatio et calculi cae felleae.
30. Munkert, vir a. XLVIII. mort. 18/11. 65.	Trichinae musculares, ulcera et cicatrices crurum, coxitis dextr. deformans.	Hypertrophia et dilatatio cordis sin., endocarditis mitralis verrucosa.	Pleuritis adh. partialis, bronchiectasiae, peribronchitis fibrosa.	Hepatitis intersti (hep. lobatum).
31. Bauer, fem. a. XXXVI. mort. 7/12. 65.	Periostitis tibiae.	—	Cicatrix epiglottidis, pleuritis adh. partialis, pleuritis fibrinosa dextr. infer., bronchopneumonia.	Calculi vesicae fel
32. Arona, fem. a. LXIII. mort. 8/12. 65.	Trichinae musculares.	Maculae pericardii tendineae, induratio fibrosa valvularum aortae, atrophia fusca myocardii.	Pleuritis fibrosa adh. partialis, oedem. et splenis. loborum inferiorum, hyperplasis glandularum mediastini.	Hepatitis interstit superficialis, per patitis adh. c. triculo.
33. Lehmann, fem. a. XL. mort. 28/12. 65.	Oedema pedum.	Pericarditis fibrinosa, periarteriitis fibrosa coronariae, myocarditis interstit. fibrosa, endaortitis valvularis, endocarditis mitralis indurativa et verrucosa, endaortitis abdom.	Hydrothorax, pleuritis fibrosa adh. partialis, concretio loborum pulmonis dextri.	Hepatitis interst lis.

Lien.	Organa uropoetica.	Organa genitalia.	Tractus digestivus.	Cerebrum, medulla spinalis et involucra.
risplenitis adaesiva, hyperlasis, deg. amyl.	Nephritis parenchymatosa, deg. amyl.	Cicatrix coron. glandis.	Atrophia laev. bas. linguae, defect. uvulae, cicatrices pharyngis, peritonitis adh., peritonit. suppur., induratio pancreatis, deg. intestini amyl.	Periostitis gummosa multiplex calvariae ext. et int., pachymeningitis fibrinosa haemorrhagica.
perplasis lienis.	Cicatrices renum superficiales, deg. amyl.	Periorchitis fibrosa sin., orchitis interstit. sin., epididymitis gummosa.	Cicatrices pharyngis et linguae, catarrh. ventriculi chr.	—
perplasis et inuratio lienis.	Nephritis interstitialis, cystides renum	Cicatrix frenuli, condylomata acuminata glandis.	Ascites.	—
isplenitis adaesiva.	Nephritis interstitialis.	Cicatrices vag., atrophia uteri, perimetritis, perioophoritis, dilatatio tubae.	Atrophia laev. linguae, cicatrices pharyngis, strictura annularis partis ventriculi med., varices oesophagi, perforatis venae ventriculi.	—
—	Nephritis parenchymatosa.	Orchitis interstit., epididymitis gummosa et gummata vasis deferentis, varices venae spermaticae.	Atrophia laev. linguae, catarrh. ventriculi chr.	Hydrocephalus internus, malacia corporis striati et lenticularis.
isplenitis.	Nephritis interstitialis.	—	Atrophia laev. linguae.	Caries sicca calvariae, periostitis gummosa, pachymeningitis ext. circumscripta.
ophia lienis.	Nephritis interstitialis, cystides.	Cicatrices introitus vaginae, metritis chron.	Atrophia laev. bas. linguae, cicatrisatio diffusa palati mollis, carcinoma oesophagi epitheliale, strictura annularis partis ventriculi med., cicatrix ventriculi, catarrh. intestin. chr.	Caries calvariae sicca, cysticercus cerebri.
isplenitis, deg. nyl.	Deg. amyloidea.	Cicatrices introitus vaginae, perimetritis chr., metritis chron.	Atrophia laev. bas. linguae, peritonitis chr. adhaesiva, deg. intestini amyl., ulcera recti.	Caries calvariae sicca, pachymeningitis fibrosa perivascularis ext. et interna.

Nomen, aestas.	Externa.	Organa circulationis.	Organa respirationis.	Hepar.
34. Lenke, fem. a. XLIII. mort. 21/12. 65.	Macies, oedema pedum, defectus septi nasi.	Dilatatio et hypertrophia ventriculi dextr.	Pleuritis chr. adhaes., noduli caseosi pulmonum, bronchiectasiae, cavernae pulmonis dextr., pneumonia chr. lobi sup. dextri.	Perihepatitis gra ris.
35. Reineke, fem. a. XXVII. mort. 27/12. 65.	Glandula jugularis petrificata.	—	Retractiones et noduli caseosi rari pulmonum.	Perihepatitis adh va, cicatrices su ficiales.
36. Jauer, vir a. L. mort. 8/1. 66.	Anasarca, cicatrisatio diffusa colli, pectoris, ecthyma dorsi, cicatrices frontis et regionis inguinalis, induratio telae cellulosae colli, dilaceratio cartilaginis intervertebralis cervicalis traumatica, caries vertebrae III colli.	Pericarditis, dilatatio cordis.	Induratio fibrosa mediastini antici, pleuritis duplex.	Periphlebitis fib ven. portarum.

Lien.	Organa uropoetica.	Organa genitalia.	Tractus digestivus.	Cerebrum, medulla spinalis et involucra.
…perplasis folli-…lorum lienis, …g. amyl.	Nephritis capsularis et interstitialis.	—	Ascites, atrophia laev. dorsi linguae, cicatrisatio diff. palati mollis et pharyngis, stenosis aditus ad pharyngem, ulcera intestini tenuis.	—
…perplasis lienis.	—	Bubo cicatrisatus, perimetritis chr., inversio et trachoma colli uteri, hydrops tubae exatresia aperturae, oophoritis et perioophoritis chr.	Hyperplasis folliculorum linguae.	Hyperostoses calvariae ext. et int., caries sicca fossae cranii mediae, pachymeningitis chr., mening. encephal. gummosa, hydrocephalus sinister.
—	—	Cicatrices glandis penis et praeputii, orchitis interstitialis sin.	Catarrhus ventric. chr., abscessus retropharyngealis ex carie vertebrae, perforans in pharyngem.	Caries calvariae sicca, pachy- et leptomeningitis chr., hydrocephalus.

Variae affectiones his in casibus nobis ante oculos positae sunt et plerumque in uno corpore plura organa morbo syphilitico correpta invenimus, qui, quo gravior pars fuit adversa valetudine implicata, eo majoris momenti fuit ad exitum lethalem. Nonnulla exempla, sicuti I. II. XX, ubi diagnosis ex iis, quae sectione reperta sunt, non satis elucet, hoc loco inter alios casus syphilidis constitutionalis me recte numerare arbitror, quia ex observationibus, quae aegrotis viventibus factae sunt, dubitari non potest, quin syphilide infecti fuerint[1]).

Singula organa perlustrantes paucas affectiones recentes invenimus in cute. Plerumque signa transformationum praeteritarum cernimus, quas uno in casu (XXXVI) cicatrisatio retractiva in regione colli atque pectoris residuis combustionis similis secuta est, de qua ex aegroti dictis hic non agebatur. Retractione factum est, ut mentum manubrio sterni appropinquaret et barba menti osse hyoideo supersederet. In uno solum casu (VII) recens invenitur psoriasis cutis et ecthyma capitis ac mentione dignum mihi videtur, hunc virum ante mensem nosocomio caritatis receptum esse cum exanthemate papuloso, quod post breve temporis spatium psoriasis secuta est, atque hac re nonnihil conferre puto ad id, quod Zeifsl[2]) credit, psoriasin persaepe stadium consecutivum, tamquam desquamativum aliorum morborum syphiliticorum esse.

Plura quam in cute residua sunt in membranis mucosis, ubi persaepe cicatrices veli palatini mollis, tonsillarum, epi-

[1]) Vide acta nosocomii caritatis Berolinensis. I. No. 372. 10/3. 63. II. No. 654. 11/3. 63. XX. No. 5633. 22/12. 64.

[2]) Allg. Wien. med. Ztg. 1862. VII. 38—39.

glottidis conspici possunt; semel tantum (XI) invenimus ulcus glottidis spuriae sinistrae et perichondritidem arytaenoideam sinistram, alio in casu ulcera recti. Num relatio inter cicatrices ventriculi et intestini atque syphilidem intercedat, in medio relinquam.

In organis cavi abdominalis, nec in ulla alia parte, miras formas degenerationis amyloideae reperimus, qua potissimum marasmus efficitur, nam ceteris affectionibus syphiliticis partes, quae structuram telae conjunctivae habent, corripientibus atque toti organismo hactenus damnum afferentibus, ut morbi locus magni sit momenti, degenerationis amyloideae sedes sunt partes propria functione praeditae, qua corpori prosunt, veluti partes hepatis parenchymatosae, corpuscula Malpighiana lienis, epithelia canaliculorum renis, quamvis non praetereundum sit, sola vasa quum renum, tum aliarum partium affecta esse posse. Est degeneratio amyloidea quasi summus gradus, ad quem corpus syphilide adducitur, at non summa vis ipsius viri syphilitici, siquidem ita incertum nominare licet: nam illam scimus etiam post morbos pulmonum chronicos, post diuturnas suppurationes aliaque exoriri posse, quibus cum syphilide nihil est commune. Eandem degenerationem invenimus in tredecim casibus, hepar quinquies, lienem septies, renes novies, membranam intestinorum mucosam septies, renem succenturiatum et vesicam felleam semel affecta.

Deformationes in hepate sectione repertae dividi possunt in perihepatitidem, hepatitidem interstitialem et hepatitidem gummosam. Perihepatitis, quae frequentia perisplenitidem et perinephritidem multo superavit, quas ex eadem causa ortas esse puto, ter sine ulla alia hepatis

destructione, novies una cum hepatitide interstitiali exstitit. Haec vicies sexies inter triginta sex exempla partim magis minusve profundas cicatrices, partim tela conjunctiva diffusius aucta hepar granulatum, partim hepar lobatum effecerat. Perihepatitis, quamvis plerumque innocua fuerit, duobus tamen in casibus magni erat momenti, in altero (XIX) strictura ductus choledochi, quam necessarie icterus sequebatur; in altero (XXIII) strictura venae portarum, quam excepit haemorrhagia intestinalis mortifera.

Gummositates saepissime (novies) in hepate occurrerunt, semper in organis simplice telae conjunctivae hyperplasi destructis. Omnino in sedecim casibus gummata exstiterant, in cerebro ejusque involucris quinquies, in calvaria, pulmone, epididymide bina, in rene, corde, tibia, testiculo et vase deferente singula. Animadvertendum est, semel in testiculo, bis in epididymide gummata fuisse, ex quo elucere mihi videtur, naturam tumorum genitalium ex sede, sicuti volunt nonnulli, dignosci non posse.

Neque rarius quam hepar renes affecti sunt. Vicies nephritis interstitialis reperta est, ex qua nonnumquam atrophia totalis evasit. Quem morbum ex syphilide pendere non constat; at respicientibus, eum et saepenumero obvenire et affectionem eandem esse atque in hepate hepatitidem interstitialem, in testiculo orchitidem interstitialem, dubitare non licet, quin etiam hic morbus ad syphilidem referendus sit.

Dum plurimis in casibus organa cavi abdominalis aegrotant, rarius partes cavi thoracici mutatas invenimus. Nonnulla mala sine dubio syphilidi imputanda sunt, velut praeter tumorem gummosum magnitudine nucis avellanae in lobo

inferiore pulmonis dextri (XXV) et peribronchitidem gummosam (XXIV) peribronchitis fibrosa simplex, qua tela conjunctiva circa ramos bronchiales valde aucta est (I. XXX) et pleuritis retractiva deformans loborum inferiorum (XXI. XXIV).

Ad cor quod spectat, imprimis casus XXV notabilis est, ex quo affectiones pueri sedecim annos nati cognoscimus. Praeter gummata hepatis, cerebri ejusque involucrorum, telae peribronchialis etiam gumma in pariete cordis reperimus. Hic vero, quum ob opinionem, syphilidem hereditariam longo tempore post partum se manifestare posse, confirmatam, tum ob infectionem ex anamnesi non perspicuam in dubio relinquendum est, utrum syphilis sit hereditaria, an acquisita. Praeterea gumma in corde non observatum est, at exstant neoplasiae telae conjunctivae, quas in aliis organis reperta respicientes ad syphilidem referre possumus. Quae quum tam insignia sint, quodammodo sua sponte opinionem nexus cujusdam causalis implicant, quae non excitatur, si agitur de morbis cordis, qui saepius alia ex causa oriuntur. Imprimis mentio facienda est casus XXVI, ad virum quadraginta octo annos natum spectantis, cujus orchitis interstitialis sinistra, tela capsulae renis aucta, hepatitis interstitialis simplex et gummosa infectionem syphiliticam satis declarant. Ejusdem in corde praeter thrombosin parietalem atque utriusque ventriculi dilatationem et hypertrophiam locus prope apicem repertus est, ubi endocardium densum et callosum erat et post myocarditidem interstitialem, qua tela conjunctiva aucta est et partes musculares interierunt, aneurysma propter vim deminutam exstiterat.

Perinde in casu alio (XXXIII) comparent hepatitis interstitialis, qua deformatio hepatis effecta est, ulcera recti, caries calvariae sicca, pachymeningitis chronica, in corde tela conjunctiva circa arteriam coronariam sinistram aucta, unde in myocardium perrexit, valvulae aorticae et mitrales densae et crassae, inter utramque valvulam mitralem parvae excrescentiae verrucosae, aorta adscendens normalis, abdominalis cum paucis et parvis locis endoarteriiticis.

Neque minus notabilis est casus XXV, in quo praeter peritonitidem chronicam fibrosam circa ovaria et uterum, quae sicuti tubae cum omento majore coaluerant, praeter stricturam urethrae, atrophiam renum granularem, tumorem gummosum lobi inferioris pulmonis dextri, exostosin tibiae sinistrae myocarditis interstitialis in sede musculi papillaris posterioris sinistri, endocarditis callosa papillaris et endocarditis mitralis retractiva inventae sunt. Quin hae cordis affectiones ex syphilide ortae sint, mihi haud dubium videtur atque probabile puto, valvulas cordis, sicuti omnino endocardium ex syphilide aegrotare posse. Sunt enim valvulae potissimum duplicaturae endocardii, in quibus similes affectiones locum habere possunt atque in endocardio parietis cordis, quae eo solum inter se differunt, quod eventus diversus est locis ejusdem morbi diversis.

Morborum cerebri ejusque involucrorum paucis mentionem facere mihi liceat. Quinquies exstitit pachy- et leptomeningitis chronica (IV. VIII. IX. X. XXXVI), uno in casu una cum leptomeningitide gummosa (IV), ter pachymeningitis haemorrhagica (III. XIX. XXVI), semel pachymeningitis chronica et meningencephalitis gummosa (XXXV), semel leptomeningitis chronica et encephalitis gummosa (V).

Denique affectionem memoraverim sedecim in casibus observatam, conspicuam dico laevitatem dorsi basis linguae, quae ex syphilide orta est, quamvis non omittendum sit, eam etiam sine syphilide inveniri posse. Quomodo laevitas paullatim fiat, difficile explicari possit, sed verisimile mihi videtur, eam sine ulceratione ita effici, ut tela conjunctiva sensim sensimque aucta folliculi linguae aboleantur, quemadmodum in hepate nonnumquam hepatitide interstitiali partes parenchymatosae perduntur.

VITA.

Natus sum Emanuel Aufrecht, fidei veteri addictus, die XIII mensis Martii anni h. s. XLIV Wodislaviae, in oppido Silesiae superioris, patre Elia, matre Paulina e gente Loewenthal, qui parentes dilectissimi ut per longissimum tempus incolumes salvique mihi serventur, intimum est desiderium meum. Primis litterarum elementis imbutus gymnasium Ratiboriense, quod primum auspiciis beat. Passow, deinde Cel. Wagner florebat, per sex annos frequentavi. Testimonio maturitatis academicae ornatus vere anni h. s. LXII litterarum universitatem Viadrinam adii et ab Ill. Semisch, fasces academicos tenente, in numerum civium academicorum receptus apud Ill. Middeldorpf, facultatis medicae decanum spectatissimum, nomen professus sum. Anno transacto Berolinum discessi et Ill. Beseler rectore universitatis litterariae magnifico ab Ill. Mitscherlich, decano facultatis medicae maxime spectabili, in album medicum relatus sum.

Per quadriennium horum virorum Ill. Cel. Exp. scholas frequentavi

Vratislaviae: Barkow, Cohn, Frankenheim, Grosser, Haeser, Haidenhain, Loewig.

Berolini: du Bois-Reymond, Frerichs, Griesinger, Juengken, de Langenbeck, Lewin, Mannkopf, Martin, Mitscherlich, Reichert, Traube, Virchow.

Quibus viris omnibus de me optime meritis gratias ago semperque habebo quam maximas.

Jam tentaminibus et physico et medico, nec minus examine rigoroso rite superatis spero fore, ut hac dissertatione cum adjectis thesibus publice defensa summi in medicina et chirurgia honores in me rite conferantur.

THESES.

I. Luxatio femoris spontanea in coxitide sequitur atrophiam supercilii acetabuli inflammatoriam pressione capitis femoris una cum artus inflammatione effectam.

II. Affectiones valvularum cordis ex syphilide oriri possunt.

III. Promontorium frequentis craniothesis primae et secundae inter partum causam esse censeo.